



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.23. Concilium Vernense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

§. XXIII.

Sæcul. VIII.
A.C. 755.

Concilium Vernense.

Eodem anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Pipini Regis quarto, undecima Julii, idem Rex Concilium in Verno ad Sequanam universonum ferme Galliarum Episcoporum ad emendam Disciplinam congregari iussit. Ibi propositum erat majores solummodo abusus tollere, donec commodiore tempore perfecta antiquorum Canonum observatio reduceretur, & tepor ex necessitate toleratus abigeretur. In illo Concilio viginti quinque Canones conditi, quorum præcipui sunt. *Ut bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus prima die Martii, ubicunque Dominus Rex jusserit, in ejus præsentia. Secunda Synodus celebretur prima die Octobris, Sueffione, aut alibi, uti in Kalendis Martiis inter Episcopos convenit. Adsint in secunda Synodo Episcopi, Abbates, & Presbyteri, quos Metropolitanus venire jussurint.* Hactenus prima dies Martii ad Conventus generales Francorum celebrandos, ubi de negotiis Reipublicæ ageretur, constituta fuerat, sed Pipinus eodem anno futuris temporibus primam diem Maji præscripsit.

to. 6. Conc.
p. 1890.

can. 4.

Ann. Pet. to.
2. du Chesne.
p. 7.

c. 5.

Episcopi Monasteria reforment. Quod si Episcopus non potuerit, Metropolitanus

R 4 provi-

- Sæcul. VIII. A. C. 755. *provideat, si Metropolita non obediant Monachi, ad Concilium veniant, & Canonicam sententiam accipiant. Si Abbates aut Abbatissæ Synodum contempserint, excommunicentur, & alii in eorum loco secundum voluntatem Regis constituentur. Nulla Abbatissa duo Monasteria habeat. Non habeat licentiam exeundi extra Monasterium, nisi hostes immineant, aut Rex eam venire præceperit, semel in anno, & consentiente Episcopo.*
- c. 10. *Monachis non liceat Romam proficisci, aut alio, sine licentia Abbatis. Sed ex Monasterio, in quo alget charitas, & Regula negligitur, ad aliud magis Regulare transire consentiente Episcopo liceat. Si Monasterium Regale est, Monachi reddituum suorum rationem Regi reddant, si Episcopale, Episcopo. Monasteria Regalia nuncupabantur illa, quæ Reges fundaverant, erantque ab Episcopis exempta, & soli Archicapellano subjecta.*
- c. 7. *Baptisterium publicum nullibi sit, nisi in loco, ubi Episcopus constituerit, sed eveniente casu necessitatis Presbyteri ubique baptizare possint. Extra casum necessitatis nullus Presbyter baptizare, aut Missam celebrare sine jussione Episcopi audeat. Qui dicunt, quod se ex amore Dei tonsuraverint, de suis tamen vivunt, & Præpositum nullum agnoscunt, compellantur, ut cum Monachis in Asceterio vivant,*

vivant, aut cum Clericis sub manu E-^{Sæcul. VIII.}
 piscopi sint. Episcopi sine Diœcesi, & A. C. 755.
 quorum Ordinatio non est satis cognita,
 sine licentia Episcopi Diœcesani nullo of-
 ficio fungantur. Episcopi, Abbates, Lai-
 ci etiam pro administranda Justitia Sa-
 larium non accipiant. Dies Dominica
 non Judaice, quod populi ad bucdum sole-
 bant, sed Christiane sanctificetur. Om-
 nes Peregrini ab exactionibus Telonii ex-
 empti sint. Tam nobiles quam ignobi-
 les publice nubant. Excommunicatus
 Ecclesiam non ingrediatur, nec cum quo-
 cunque Christiano bibat aut manducet.
 Nemo cum ipso oret, munera accipiat,
 osculetur, aut salutet. Qui sciens cum
 ipso communicaverit, & ipse excommuni-
 catus sit. In fine hujus Concilii Ver-
 nensis in quibusdam exemplis octo Ar-
 ticuli visuntur, qui Concilio Metensi tri-
 buuntur, & æque ad negotia tempora-
 lia, ac ad Religionem pertinent.

c. 13.

c. 25.

c. 22.

c. 15.

c. 19.

c. 9.

Alii quinque Articulos ultimos in *Coint. an.*
 Concilio Vernensi, & primos tres in Con-^{755. n. 208.}
 cilio Compendiensi anno 757. conditos
 putant.

§. XXIV.

S. Othmari Calumniatores.

Sanctum Othmarum Abbatem S. Gal-^{vit. c. 4. to. 4.}
 lensem duorum Comitum Guarini & *Act. SS. Be.*
 Rodoardi improbitas compulit, ut ad Re-^{p. 157.}

R 5

gem